




Oberösterreichisches
Landesmuseum

I 19362







DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-LITERARIA
EXHIBENS
LOIMOGRAPHOS
SECVLI
XIV. ET XV.,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT
Joannes Duftschmid,
AUSTRIAC. LINCENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 28. Aprilis 1832.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

MUSEUM FRANCISCO CAROLINUM
LINC s. A. D.

DISSERTATIO

JOHANNES DE RECHNITZ

ANNO 1717

CONSENSU ET AUCTORITATE

RECTORIS ET FACULTATIS

UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

WILHELMINAE MAGNAE

IN URBE BEROLINENSIS

AD PRAESIDIUM

DOCTORIS JOHANNIS RECHNITZ

DE RECHNITZ

DE RECHNITZ

DE RECHNITZ

DE RECHNITZ

JOHANNES DE RECHNITZ

DE RECHNITZ

IN URBE BEROLINENSIS

AD PRAESIDIUM

DOCTORIS JOHANNIS RECHNITZ

DE RECHNITZ

DE RECHNITZ

PIIS MANIBUS

Patris optimi.

gratissimus filius.

MUSEUM FRANCISCO CAROLINUM
LINC. & D.

PLIS MANIBUS
LUDWIG RECHT
Hartig optima

I 19362

O.O. LANDESMUSEUM
BIBLIOTHEK

LOIMOGRAPHI SECULI

XIV. et XV.

MICHAEL BERTHOLD

COLMOGALARI SENULL

XIV

NICOLAUS BERTRUCIUS.

Idem etiam *Bertuccius* et *Bertracius* dictus, genere Lombardus, in scientia medicinae Bononiae conversatus, auctor Latino-barbaris adnumeratus, vixit sub *Conrado* IV. Imperatore anno Ch. 1250., floruit adhuc initio seculi XIV., eoque usus est *Guido de Cauliaco* magistro. Ejus opera, in quibus imitatus est vestigia praecipue *Hippocratis*, *Galen*, *Rasis*, *Avicennae*, et postremo *Johann. Hebem.*, nunc fere ignota, ipso seculo XVI. in numero practicorum optimorum relata sunt.

Ex eo habentur:

Nusquam antea impressum collectorium totius fere medicine. Addita est practica perutilis de novo in lucem prodita de noticia et curatione universarum febrium et earum accidentibus donum dei vocata Lugduni in edibus Jacobi myt, sumptu Bartholomei trot. MCCCCXVIII, in 4. — Recognitum et suae integritati restitutum per Joann. Caesarium. Coloniae apud Melch. Novesianum, 1537. in 4.

Methodi cognoscendorum tam particularium, quam universalium Morborum. Exstant cum Chri-

stop hori Heylii artificiali Medicatione. Moguntie apud Jonam Schoëffer, 1534. in 4.

In Medicinam practicam Introductio. Exstat cum Enchiridio Medico. Argentinae apud Joh. Albertum, 1533. in 24.

(Vide *Wolfg. Justi Chronolog. Medicorum. Freind hist. de la med. Part. III. pag. 163. Linden. renovat. pag. 830. Collector. auctor. Edit. Colon. fol. I.*)

In tractatu de universis febribus, dicto dei donum (fol. CXCVIII—CCI). *Capite II. et seqq. agit de pestilenti febre.*

Haec ipsi est calor venenosus in corde accensus, procedens ab eo mediantibus spiritu et sanguine per venas et arterias in totum corpus. Fit de sanguine putrefacto venenosae qualitatis; venenositas deterior est, quam in putridis aliis.

Medici intentio potissimum esse debet: conservare virtutem et vigorare illam cibo; licet infirmi cibum non appetant, sed ut plurimum valde abhorreant.

Cap. III. de causis pestilentiae et pestilentialis febris.

Planetarum et astrorum conjunctiones, inquit auctor, quae causas medicus ut medicus ignorat, et forte sunt et astronomis ignotae.

Causae sunt aëris, aquae et terrae immutatio, sive substantifce, sive qualitative, sive utroque modo. Dum vapores et fumi venenosi surgentes a terra, vel aqua, vel aëre corporibus humanis adhaerent, per anhelitum respirando et inspirando admissus, versus cor, pulmonem et vicinas partes trahuntur, spiritus inficiunt, qui tam cor, quam vicina membra, et etiam humores infectione venenosa corrumpunt.

Sed est etiam pestilentia a contagione vel incipiens, vel perseverans, et plures a contagio vel sanorum vel aegrorum inficiuntur, quam a pestifero aëre in se ipso alterato.

Cap. IV. de signis futurae pestis.

Distinquuntur in signa ab aëre, a terra et ab aqua; sed animo et cogitatione ficta proponuntur.

Cap. V. de signis febris pestilentialis.

Sunt valde ambigua, confusa et incerta, cum sint plerumque admodum contraria, quoniam venenosa qualitas saepe fortis est, et interdum debilis, corpora quandoque bene resistunt, et interdum male.

Cap. VI. de pestilentialis febris cura ad diaetam spectante.

Inter alia commendat: ut teneantur infirmi in laetitia et gaudio, et bona spe; adsint infirmis homines jocosus et liberati ex peste; cogantur comedere cibos boni nutrimenti et facilis digestionis, et potius assatos, quam elixatos; ut omni studio hortentur et cogantur ad cibum sumendum, non in quantitate multa pro vice, sed saepe, quoniam cibo laudabili roboratur virtus debilitata. Si vero virtus defecta non sit, possunt a carnibus abstinere, saltem sint conditae cum succo cydoniorum, aceto etc.

Aceti utilitatem sequenti historia comprobatur: Cum juvenis esset Florentiae in villa pestem fugiens ex inordinato regimine febrem incurrit pestilentialem cum apostemate in inguine et siti immensa, nec volens sociis revelare, finxit aliam aegritudinem iisque suadens, ne secum morarentur. Et ille in lecto petiit, ut omni die veniret unus, et ipsi unum flasconem aquae cum aceto daret, quem semper lambendo apud se tenebat prope os, et omni die unum flasconem bibebat, et semel de die tantum comedeat; tandem Dei gratia liberatus est.

Cap. VII. de cura ejus per potionem.

Potulenta debent esse confortantia et repellentia venenositatem; unde rob de acetositate citri quotidie dari potest, vel aqua frigida cum aceto, si non obstant particulares dispositiones et apostemata. Conveniunt et rob de fructibus acerbis, trochisci de camphora, aqua lactis acetosi et aqua mixta cum bolo armena et pauco vino albo.

Commendat simul fricationes extremorum, coxarum et ti-

biarum cum manibus vel mandili, ligaturam ad juncturas, ventosas ad nates cum vel sine scarificatione, sanquisugas circa nates vel ad haemorrhoidales venas.

Cap. VIII. de cura ejus per instrumentum chirurgiae.

Referente *Guidone de Cauliaco* in Francia et potissimum in Avinione multi medici cauti sibi ipsis et aliis pluribus fecerunt prope emunctoria assellarum et coxarum cauteria, et ea aperta dimiserunt usque ad finem pestilentiae, qui illaesi evaserunt. Nec irrationale est, inquit noster; nam cum natura onerata materia mala interdum in ictu et subito hanc ad loca illa mittit, et ibi facit apostemata onerata ab eadem; quanto ergo magis, quando est fortis natura, et loca illa jam parata et artificiose erupta sunt ut rivulus et exitus materiarum malarum.

GUILIELMUS PLACENTINUS de SALICETO.

Medicus Italus ex nobili Placentinorum domo oriundus anno 1277., ingenio et summa medendi laude floruit, et nominis sui celebritate, ut ex veteri annali illius familiae collegi, totam Europam complevit; Veronae enim publico Civitatis Medicinam est professus. Chirurgiae artis exactum libellum, et omnem morborum doctrinam, Pathologiam vocant, cum excussa remediorum sylva, et copia evulgavit, adjectis etiam propriis curationibus et consiliis medicis. Gentilitium insigne gestabat, cum tribus stellis caeruleo campo utrinque posito, et albo adjecto.

(Vide *Andr. Chiocci* de Collegii Veronensis illustribus medicis et philosophis, pag. 58.)

In Bibliotheca caes. reg. aulic. Vindobon. in promptu est:
Liber magistri Gulielmi placentini de saliceto:

In scientia medicinali: et specialiter perfectus incipit: qui summa conservationis et curationis appellatur. In fine libri legitur: *Impressum Venetiis Anno domini MCCCCLXXX. die VIII. mensis Maii. Regnante. d. Augustino barbadico inclyto venetiarum principe.* In folio. Numeri foliorum, signaturae et custodes desunt.

In libri II. de febribus et de his, quae sunt necessaria in curatione febrium agitur (in quatuor foliis, columnis sex et 1/4).

Capitulo XXVI. de febre pestilenti.

Causa vel est manifesta, v. g. venti ducentes fumos et vapores malos ex locis corruptis et foetidis etc.; vel occulta, aër putridus ex formis coeli. Febres pestilenciales semper fiunt ex aëre humido turbido et infecto ab humiditate putrefacta, vel ex humiditate disponente aërem ad putrefactionem, non in omnibus habitantibus in loco, sed in dispositis.

Signa vel indicant pestilentiam per vias causae, ut e. g. sunt: ranae parvae, fuga talparum, volatilium a nidis et ovis suis; alteratio aëris uno eodemque die ad calidum, frigidum, siccum, humidum; multiplicatio nubium etc.; vel per accidentia pestilentis febris. (Sed solummodo signa generalia morborum epidemicorum adferuntur; de apostematibus nulla fit mentio.)

Cura intenditur 1. cum rebus, quae pertinent ad provisionem cum defensione, ut sunt cibi elixati cum lactucis, portulacis, aceto et succo berberis etc. vinum stypticum, lymphatum cum aqua veri frigoris; 2. cum contrariis alterantibus aegritudinem, et removentibus causam et accidentia aegritudinis, ut sunt: roratio domus et camerae cum aqua veri frigoris et aceto, rectificatio aëris pestilentialis.

Evadet e pestilentia et eam non incurret, si homo sumserit de pilulis ex aloës, myrrha et croco, et cum cibariis in prandio et coena acetum bonum cum aqua nivis vel veri frigoris, si comederit cum aceto lentes excorticatas et coctas. Sumere boli armenae drachmam unam cum aceto et aqua frigida, remedium adfert; et qui utitur theriaca de tertio in tertium diem in aurora

cum vino de granatis vel succo berberis, erit ab aegritudine securus — si Deus voluerit.

Infirmi viriliter comedant, maxime si appetitus malus et debilis fuerit. Plurimi eorum, qui viriliter agunt super illud et violenter comedunt ter vel quater in die rectificatos cibos, absolvuntur et vivunt; qui vero faciunt contrarium, moriuntur.

Nulla modo sustineant sitim, sed bibant aquam frigidam usque ad satietatem. Abstineant a balneo calido aquae dulcis et potu aquae calidae tamquam ab inimico mortali. Tu non invenies aliquid tam utile, et bonum curatione febris pestilentialis, quam abstinere ab usu aquae calidae et ablutione ejus, et ab usu brodiorum carniū calidorum et humidorum.

JOANNES MICHAEL SAVONAROLA.

Natus est Patavina gente, imperantibus jam pridem Canariensibus, et quidem postremis, sub quibus etiam floruit, jam tum doctissimus adolescens. Nam et a puero Equestri Hierosolymitanorum militum ordini adscriptus est, et ab adolescentia gravissimis disciplinis ita operam dedit in patrio Gymnasio, ut viris maximis aetatis suae par fuerit, major certe apud posteros *Cermisone* Medico et Professore celeberrimo, cujus fuit auditor. Claruit ex arte medica Doctor, et Eques, ac Medicinam publice professus est in patria diu. Ab Estensi Principe profecta jam aetate Ferrariam accitus est ingenti mercede, ibique docuit, ubi tum Principis, tum Ferrariensium beneficiis devinctus, et civitate donatus, sibi ac suis domicilium posuit, ut deinceps *Savona-*

rola familia apud Patavinos clarissima Ferrariensi nobilitati suum decus adderet, perennaretque deinceps bipartito, Patavii quidem doctissimis posteris, ac praesertim *Francisco* vate celeberrimo seculi XVI., Ferrariae vero virtute ac sapientia *Hierononymi* ex ordine Praedicatorum hoc ipso seculo memorandi. Plura de *Michaële Scardeonius*, qui eum tradit obiisse Ferrariae anno 1431. sepultumque ad *St. Mariam in Vado*, unde translatus jacet sine titulo in aede *D. Georgii*; quae ut vera in reliquis sint, in eo sane stare minime possunt, quo emortualem *Michaëlis* annum signant. Constat enim ex catalogis profitentium Artes Gymnasii Patavini, anno 1434. praelegisse eum festis diebus, quae pertinent ad Rem medicam. Anno vero 1436. hic itidem plena discipulorum suffragatione receptum explicuisse *Avicennae Tertium*; confirmanturque haec omnia examine *Custodii de Alberino*, cui *Michaël* inter Brabeutas, quos Promotores dicimus, interfuit III. Idus Septembris anni 1434.

Ejus opera vulgata in *Lindenio* renovato recensentur. Ad nostrum coeptum pertinet:

Practica Canonica Joan. Mich. Savonarolae, de Febris, Pulsibus, Urinis, Eggestionibus, Vermibus, Balneis omnibus Italiae. Venetiis, apud Octavian. Scotum, 1498. in fol. Idem opus addito Caesaris Optati, Medici Neapolitani, opere absoluto de febre hectica, et adjectis scholiis marginalibus. Ibidem apud Juntas, 1552. in fol. Ibidem apud eosdem, 1562., 1563. in fol. Lugduni apud Sebastian. Honoratum, 1560. 8. Huic accessit de

hectica febre Caesaris Optati opusculum, unaque Jacobi Sylvii de omnium febrium genere Commentarius, et de eisdem Gulielmi Veregnaei duo tractatus sanitati recuperandae commodissimi *).

(Vide *Scardeonii* histor. Gymnasii Patavin. Tom. I. pag. 286. — *Freind* hist. de la medec. Part. III. pag. 130.)

In hujus *Practicae Canonicae* Capitis IX. Rubricis sex (pag. 187 — 283.) de febribus acutis pestiferis tractatur.

De definitione et causis febris pestiferae. Rubr. I. (p. 188.)

Pestis auctori est dispositio venenosa in aëre, contingens ex mutatione ejus aut secundum qualitatem, aut secundum substantiam, quam sequitur morbus *pestilentia* dictus; quae est multiplex, uno eodemque tempore multis hominibus communis; ex aliqua fiunt carbunculi, ex altera febres, ex ceteris variolae, morbilli et sic porro. Prior vocatur *inguinaria*.

Febris pestilentialis est contagiosa, ejus causa vapor putridus attractus. Incurrit tamen non raro in eandem aliquis non attractione aëris per os, sed infirmatur ex vestibus, ex lecto et ex aliis. Si contingat ex sola aëris mutatione qualitatum, non dicitur proprie pestilentialis; quae etiam fieri potest in corporibus, cujus mali humores ad putredinem multiplicantur, v. g. post longam famem.

Nonnulli tempore pestis moriuntur absque febre intra 10 aut 20 horas; tunc aër occurrens cordi ita rabiosa venenositate infectus est, ut homo ante adventum ebullitionis moriatur.

Pestilentia ut plurimum evenit aestate et autumnus; in aestate magis viget; et ver pesti magis favet, hyeme.

*) Exemplari hujus elegantis editionis, in scriniis Prof. Jos. Bernt asservato, usi sumus.

Ad effectum in corporibus inducendum requiruntur: fortitudo agentis, dispositio passi, contactus passi ab agente, mora agentis in passo.

Dispositio est aptitudo hominis ad recipiendam talem impressionem.

Corpora munda minus apta sunt ad putredinem recipiendam; aptissima vero immunda, superfluitatibus plena, vitam ducentia ociosam, crapulosam, praecipue veneream.

Auctor aliquoties observasse testatur, tempore pestis paucos bibulos mortuos esse.

De signis prognosticis futurae pestis. Rub. II. (pag. 205.)

Ejusmodi signa putantur: apparitio et multiplicatio roborum, id est ignis in aëre moti, vel currentis, stella cadens etc., remanente aëre turbido ex multitudine vaporum elevatorum; multiplicatio austri et subsolani, unde aër efficitur multum nebulosus, obscurus, turbidus; paucitas pluviae cum frigore in aestate; quando homines in aestate valde conturbantur, ita ut sint inquieti, quin sentiant caliditatem vehementem; quando eodem die aër vario modo alteratur, nunc calidus, nunc frigidus, nunc turbulentus fit, et sol clarus oritur, deinde conturbatur; aparitio variolarum, morbillorum, anthracum, bubonum etc.; quando multiplicantur ranae, mures, muscae etc., quod signum est copiosae putrefactionis regnantis; quando aër turbatur ex elevatione malorum vaporum ab aquis infectis elevatorum, in quibus maceratur linum, cannabis etc.

De praeservatione corporum a peste. Rub. III. (pag. 209.)

Agitur hic de eligendo, evitando et rectificando aëre; de cibo et potu; de somno et vigilia; de motu et quiete; de inaniitione et repletionem; de coitu; de accidentibus animae; de regimine medicinalium.

Haec quinque ab F. incipientia tempore pestis vitanda sunt:

Fames, Fatica, Fructus, Foemina, Flatus.

Et quinque vim pestis prohibent:

Flebotomia, Focus, Fuga, Fricatio, Fluxus (i. e. evacuatio superflui).

Ad distrahendum animum inter alia commendat ludum ad Schachos, tabulas, et hujusmodi solatii causa, et non avaritiae, ne quis ex amissione tristetur.

Qua praeservativa laudat: Allium, Theriacum, Mithridatum, Electuarium de gemmis, Diamuscum dulce, Bolum armenam, Terram sigillatam, Tormentillam, Dictamnium, Scabiosam, Pimpinellam etc.

De signis demonstrativis febris pestilentialis. Rubr. IV.
(pag. 244.)

Recensitis morbi symptomatibus auctor declarat, nullum inveniri in peste signum, quod in aliis acutis putridis apparere non possit, excepto anthrace, glandula et hujusmodi, et si vides, aegrum primo et secundo die deficere in animali sensitiva et motiva. Saepe videntur pestilentiati liberi die quarto vel quinto, et per domum incedunt ac si sani essent, imo comedunt, bibunt et dicunt, se haec facere cum appetitu, et tamen usque ad decem horas vel sequenti die moriuntur.

De cura febris pestilentis. Rub. V. (pag. 254.)

Medicus attendat, ut omnem in principio habeat in cura infecti diligentiam, quoniam non est aegritudo dans inducias.

Aër lecti et camerae alteretur. Nobiliorum quis ea die, si possibile est, removeatur a loco, in quo infectus est, lectum mutet et linteamina et culcitram omni die.

Cibus debet esse multum nutritivus, restaurativus, facilis digestionis, alteratus ad frigidum et siccum cum acetosis. Debet dari bona quantitas cibi, secundum pluries tamen exhibitiones, et hac passione laborantes ad comedendum sunt cogendi.

De potu convenit hordei simplex, et aqua plurima frigida subito est jувativa valde; pauca autem consequenter. Ab aqua calida, item ob omni potu calido tanquam ab inimico caveat.

Si consuetudo cogat, da vinum album lymphatum, subtile, odoriferum. Nullo modo sitim patiatur.

Dormire debet infirmus ita tamen, ut vigilia sit somno proluxior; cave tamen, ne in somnum profundum incurrat.

Evacuatio fiat necessaria secundum diversitatem materiae peccantis, sanguinis nimirum vel alius humoris. *Phlebotomia* in principio morbi est *evacuativa*; urina apparente subjugali propter fortem ebullitionem *eventuativa*; apostemate apparente in aliquo emunctorio *diversiva*, et quidem apparente sputo sanguinis, pessimo signo, ex basilica dextra. Ex phlebotomia et dato eodem die solutivo quam maxime debilitatur aeger, et fiunt motus contrarii; nam pharmacia movet humores de circumferentia ad centrum, phlebotomia autem e contra. Sola cassia aut manna in principio non est exhibenda, medicina ex rheubarbaro, aut agarico, aut scamoneata sit in febre pestilenti; sed respiciendum est, an materia peccans sit sanguinea, cholericæ, phlegmatica aut melancholica.

Sequuntur jam formulae variae remediorum alterantium. De camphora adnotatur, quod appetitum dejiciat, et de epithematione testiculorum cum aqua rosarum, aceto et modico vini odoriferi, quod sit de maxime refrigerantibus totum ultra phlebotomiam, propter reflexionem caloris, quam faciunt super totum.

De glandulis et carbunculis pestiferis. Rub. VI. (p. 279.)

In horum cura localia adhibet, jam ex *Vinario* (pag. 41.) nota; monetque, a percussivis abstinendum, post principium cum solutivis et maturativis procedendum, et quam primum vestigium saniei apparere incipiat, cito apostema aperiendum esse.

Agmen hujus tractatus claudit historia morbi *Pampiniani* peste affecti, qui a *Siculo* curatus est. Is inter alia ordinavit, ut, quia phlebotomia somnum inducit, teneretur per adstantes in vigilia cum novis fabulis, vociferationibus et hujusmodi.

ANTONIUS GUAINERUS.

Etiam *Gainier* et *Guaynerius* dictus, natus Ticini, urbe Italica in statu Mediolanensi, professor publicus in Academia patria, et medicinae practicus, claruit tempore consilii Basileensis sub *Sigismundo* et *Alberto II.* Imperatoribus, et obiit in patria circa 1440.

De eo exstat opus practicum quondam magni aestimatum, his temporibus vero plane obscurum, quod prodiit cum *Joannis Falconis* additionibus, Papiæ apud *Bernhardinum de Garaldis*, 1518. in 4., optime vero sub hocce titulo:

*Antonii Guaynerii Medici praestantissimi Opus praeclarum, ad Praxim non mediocriter necessarium, cum permultis additamentis Joannis Falconis, non inutiliter adjunctis, aliisque in margine adnotatis, diligentissime castigatum. Lugduni, 1534. in 4. *).*

(Vide: *Ghilini* teatro d'Uomini litterati. *Trithe- mium* de scriptoribus ecclesiasticis. *Gesneri* bibliothecam. *Fabricii* bibliothecam latin. medii aevi. *Linden.* renovat. pag. 72. *Conring.* introduct. in art. medic. pag. 103. *Cornarium* in Epistola nuncupatoria ad *Aeginetam.*)

In opere supra allato fol. CCV. *Antonii Guaynerii Papiensis doctoris celeberrimi tractatus de peste, sive de venenis, feliciter incipit*, et extenditur usque ad fol. CCXLV.

*) Exemplari hujus editionis, in caes. reg. Biblioth. aulic. sub signo LXX. L. 6. asserto, usi sumus.

Differentia I.

De definitione et causis pestis. Capit. I. (Fol. CCV.)

Est morbus contagiosus, immediate a nutrimentorum vel aëris venenosa infectione proveniens.

De signis pestis. Cap. II. (Ibid. a tergo.)

Sunt vel sensui magis occulta, ut constellatio seu figurae coelestes; vel magis sensibus nostris oblata, sicut dispositiones terrestres; de quibus omnibus fuse disputatur.

Anno 1402., antequam magna pestis evenit in autumnno, in quo jam nonnulli peste mori inceperunt, de quibus tamen mentio non fiebat, multi ajebant, virginem vel sanctos alios invenisse, iisdem futuram pestem annunciantes. Anno 1405. in autumnno multi ajebant, se virginem invenisse, quae futuram pestem eisdem annuntiabat; et in aestate proxima pestis magna ibidem supervenit. (Sed fides ejus rei sit penes auctorem.)

Differentiae II. tractatus I.

Regimen aëris continens. Cap. I. (Fol. CCVI. a tergo.)

Regulae universales circa cibum universaliter observandae. Cap. II. (Fol. CCVIII. a. t.)

De praeparatione panis tempore pestis. Cap. III. (Fol. CCIX.)

De carniū electione et earum decoctione. Cap. IV. (Ibid.)

Omnia animalia carcerate nutrita damnantur.

De condimentis. Cap. V. (Ibid. a. t.)

Quantum valeat acetum in peste in cor confortando, atque cholerae et sanguinis fervorem reprimendo (auctor inquit) in describendis deficerem. Quotidianus autem usus succi limonis sive aranci stomachum laedit.

De ferculis. Cap. VI. (Fol. CCX. a. t.)

Legumina omnia vitanda, exceptis lentibus decorticatis. Nonnulli in aestate acetosae tantam vim attribuunt, ut unus bo-

lus de ea mane, et alius sero vacuo stomacho, sufficiat hominem a peste praeservare.

De lacte, caseo et seraceo. Cap. VII. (Fol. CCXI.)

Ab auctore horum usus non vituperatur.

De piscibus. Cap. VIII. (Fol. CCXI. a. t.)

Vitandi pisces ex aquis, in quibus tota civitatis propinquae immundities expurgatur. Marini laudabiliores existunt. Assati magis hyeme conveniunt, aestate vero elixi cum aceto. Saliti omnes ob acuitatem sunt vitandi.

De fructibus. Cap. IX. (Fol. CCXII. a. t.)

Non sunt in eadem mensa diversi fructus comedendi, ne alter alterius impediatur digestionem. Mora tanquam mortalem inimicum tali tempore fugias.

De potu. Cap. X. (Fol. CCXIII.)

Generalia.

De somno et vigilia. Cap. XI. (Fol. CCXIV.)

Superflua dormitio desiccatur, et vigiliae calorem intendunt, corpus desiccant et malum colorem inducunt.

De motu et quiete. Cap. XII. (Fol. CCXV.)

Repugnans Parisiensibus, motum vituperantibus, quia propter exercitium corporis magnificatur anhelitus, porique magis detineantur aperti, et propter hoc insurgit necessitas eventandi, unde plus de infecto aëre attrahitur, defendit auctor, quod per exercitium naturalis calor fortificetur, et validae fiant, quae in membris sunt virtutes vitales, naturales et animales, superfluae humiditates resolvantur, propter quod infectioni pestilentiali potentius humores resistent.

De accidentibus anime. Cap. XIII. (Fol. CCXVI.)

Pestis tempore accidentium omnium animae superfluitas est evitanda. Ut animus eo tempore exhilaretur, v. g. vestes portet quisque sibi laetitiam inferentes, annulos quoque cum pretiosis lapidibus; nam dum homo permanet in laetitia, pestis deletur imaginatio, ex qua plurimi ipsam incurrunt.

De coitu. Cap. XIV. (Fol. CCXVI. a. t.)

Cavendum est summopere, ne quis tempore pestis superfluo utatur coitu et ipsam incurrat; si tamen adolescens et consistens carnosus fuerit consuetus laute ac delicate vivens, ex ejus dimissione non solum pestem, verum mortem subitanam incurrare posset.

De inanitione et repletione. Cap. XV. (Fol. CCXVII.)

Caeteris paribus ex minori, quam corpori conveniat nutrimento magis sequitur nocumentum, quam ex majori. Procuret insuper omnis homo secundum consuetudinem horis debitis habere beneficium ventris.

Differentiae II. tractatus II.

De natura tam farmaciae, quam stomothomiae. Cap. I. (Fol. CCXVII. a. t.)

Qui bono utitur regimine nec vomitu, nec solutione ventris, nec similibus indiget evacuationibus; nec quisquam ita ausus existat, ut sine medici consilio fortes recipiat medicinas.

De quibusdam pilulis ac levibus solutivis. Cap. II. (Fol. CCXVIII.)

Constant ex Aloë, Myrrha et Croco et notae sunt ex prioribus loimographis.

De quibusdam bezoardicis. Cap. III. (Fol. CCXIX.)

Huc refert: lutum Armenum praeparatum, Acetosam, Tormentillam, Diptamum, Antorae radicem, herbam Tunici, Pimpinellam, Scabiosam, terram sigillatam, Cepas, Allium, Hypericum, radicem Enulae, Aristolochiae rotundae et longae, Raffanum, Vincitoticum.

De his, quae sunt ab extra approximanda. Cap. IV. (Fol. CCXXII.)

In hunc usum commendantur: Carbunculus et ejus species, Jacintus et Saphirus, Agates, odoramenta, odor urinae hirci. Hunc laudat super omnia *Averrois* (VI. ultimo capite).

Vidit auctor in quadam apotheca Gebenis tempore cujusdam pestis, ubi multi habitabant, hoc facere, et non urinam, sed saepe se super hircum projicientes ipsum odorabant: nec in illa domo quisquam mortuus fuit.

Differentia III.

De signis febris pestilentialis tam prognosticis, quam demonstrativis. Cap. I. (Fol. CCXXIII. a. t.)

Pestilentialis febris, cujus signa communia exponuntur, non solum ex quatuor humoribus provenire, sed etiam ephemera esse potest.

Si tempore pestis sine manifesta occasione aliquem inveneris contristari, et de nullo alio, quam de corde conqueratur, cum quo inquietatur et angustatur, et pulsus est magnus, velox, et frequens, nullaque sit vel pauca in facie et urina mutatio, talem scias ephemeram pati pestilentialem, et sive appareat bubo, sive anthrax vel aliud pestilentiale apostema, sive non, ut plurimum, nisi eidem succurratur, eadem morietur die; hic aër venenosissimus impressionem suam jam in corde firmavit; propterea forsitan ephemera inter pestilentialia pejor existit; et ejusmodi peste affectos vidit auctor anno elapso Thiarri Bauuiri.

De signis bubonis, carbunculi, anthracis, morbillorum et variolarum. Cap. II. (Fol. CCXXIV. a. t.)

De cura febris pestilentialis. Cap. III. (Fol. CCXXVI.)

Nisi brevi succursum dederis, laborabis in vanum. Pestilentialis ephemera infirmum intra triginta expedit horas; humoralis vero quanto ex acutiori humore provenit, tanto citius se expedit.

Infirmus debet, suadente jam *Rase*, persaepe cibo refici, prodialibus restaurativis; eget enim continua restauratione et spiritualium renovatione.

Pro potu habeat aquam hordei, aut aquam, in qua ali.

quos ducatos vel laminam auream ignitam persaepe facias extinguere, quae misceri debet cum succo Aurantii, Limonis, Biberis, vel aceto. Si febris fuerit phlegmatica, vinum album cum aqua mixtum laudatur. Si virtutem valde prosterni concerneres, da vinum purum de meliori quod reperitur. Cum febris et accidentia remittuntur, gradatim ad sanorum diaetam accedas.

Procures infirmum, semper promittendo salutem, laetum pro posse tenere, ipsum quibus sciveris modis a pestis imaginatione distrahere, cum verbis jocosis, cantilenis ac dulcibus melodiis, ut cum cithara, lira vel aliis hujusmodi musicalibus instrumentis.

Prima die infirmi non dormiant, ut phlebotomia fieri possit; postea tamen ad dormiendum provocandi sunt, ne spiritus per vigiliam nimium resolvantur. Si vero anthrax, bubo vel carbunculus apparuerit, ad vigilandum cogendi sunt; nam cum natura materiam illam intoxicatam expellere conatur, somnus talem operationem impediret; versus tamen auroram paululum dormire debent.

Medicinalia sunt secundum febris varietatem varianda. Si foret Ephemera, et in corpore illo repletionem aliquam non percipias, alterantia sola sufficient. Si fuerit humoralis, et ab alio humore proveniret, quam a sanguine, erunt illi humores evacuandi. Cave tamen, ne eadem die duo exhibeas solutiva, et ad nonnullorum modernorum devenias illud inconsequens, qui videntes primum solutivum, ita citam ut vellent operationem non facere, exhibent secundum, cum quo non solum humorem, quem volunt interdum, sed cum eo et animam evacuant. Si vero a sanguine, fienda est minutio, ac etiam, si humores alios concerneres, virtute et caeteris consentientibus, fieri similiter debet phlebotomia. Et tanta istis temporibus in tali casu reperitur in phlebotomia confidentia, ut infirmi phlebotomati semi liberatos se judicent.

Sequuntur jam medicamentorum formulae, inter has formula pulveris, cujus ingrediens constituunt sanguinis humani drachmae duae. Ceteras transimus, excepta una.

R. Aquae Rosarum drachm. duas
 Vini albi odoriferi unc. unam,
 Boli Armeni subtilissime triti drachm. unam.
 Misce et in potu tribue.

De hoc medicamento auctor asserit: a se adhuc nullum visum fuisse, qui primam retinens potionem non evaserit.

De cura bubonis. Cap. IV. (Fol. CCXXX. a. t.).

Etiam hic infirmi virtus respicienda; item quae sit febris, an ephemera, sanguinea, cholericæ, phlegmatica vel melancholica; an multa aut paucae existant incensiones et angustiae, in quo loco fuerit apostema, in emunctoriis cerebri, cordis vel hepatis. Et consentiente virtute instituenda erit phlebotomia copiosior existente febre sanguinea et juxta apostematis sedem e venis variis. Si aetas vel aliud impediret, super collum, scapulas vel super nates appone ventosas cum scarificatione.

Nunquam repercussivum buboni applicetur, sed potius attractione materiei est juvanda natura. In hunc finem commendat cepas, cum tyriaca et pauxillo aceti super prunas debite coctas, et more emplastri buboni applicatas.

De cura carbunculi et anthracis. Cap. V. (F. CCXXXII. a. t.).

Quantitas sanguinis detrahenda dependet ab apostematum colore, infirmi virtute, complexionem, aetate, praecedente regimine et febris essentia. Apostemata de sanguine rubescunt, de cholera citrinescunt, de melancholia livescunt vel nigrescunt; et si magna accidat venenosa corruptio, omnes hi colores apparent.

Ad sanandum anthracem commendat: Saphirum (qui apostemati circumductus idem statim enecare dicitur), Scabiosam, Tyriacum, Galli culum deplumatum, stercus humanum tepidum, et multa alia composita; imprimis autem cauterium actuale

ex chalibe vel auro. *Gilbertus* Anglus radicem Lili in aqua coc-
tam circa anthracem emplastravit, et in casu desperato atra-
mentum vino et aqua mixtum applicavit. Si in facie foeminarum,
quae potius mortem eligerent, quam habere faciem cicatriza-
tam, anthrax obortus fuerit, locum cicatrizandum saepe ope
pennae balsamo bono illinias, quo cicatrix in tantum subtilia-
tur, ut quasi non appareat.

THOMAS de GARBO.

Medicus Florentinus, *Dini de Garbo* filius, qui
una cum patre et avo *Brunone* Chirurgiae peritissi-
mo medicis Latino-barbaris adnumeratus, vixit circa
medium seculi XIV. scripsitque: *Summam medicina-*
lem, quae in lucem prodiit Venetiis, 1521. in fol. *Ex-*
positionem de generatione embryonis III. *Canonis*
Fen. XXV. Avicennae. Venet. 1502. in fol. *De reduc-*
tione Medicamentorum ad actum et de gradibus eo-
rundem tractatum. Patavii, 1556. in 8. et *Commenta-*
ria in opera aliquot Galeni, quorum editiones variae
in *Lindenio* renovato (pag. 1018.) enumerantur. *Inser-*
tum quoque reperitur opusculo, cujus titulus est:
Marsilio Ficino Fiorentino Contro alla Peste. In Fio-
renza. Appresso i *Giunti.* MDLXXVI in 8. pag. 77:
Consiglio di Tommaso del Garbo Fiorentino Con-
tro la pestilentia (folia decem). *)

(Vide *Conringii* introduct. in artem medic. pag.

*) Opusculum hocce asservatur in scriniis D. et Prof. Jos. Berni.

102. et in antiquit. academ. Diss. III. pag. 101. *Mandosium* in vitis Archiatr. Pontifical.)

In hujus consilii capitulis XXVII. (pag. 77 — 96) docet: Primum remedium prophylacticum esse, locum fugere, ubi pestis, et ire eo, ubi aër sanus est; fugiendos esse pueros, sanguineos, cholericos magis, quam phlegmaticos et melancholicos; a vitae regimine bono quoque posse periculum pestilentiae arceri; tempore humido in habitatione focum esse accendendum, tempore vero sicco solummodo vapores in domo, ab aëre productos, igne consumendos esse, et quidem ex ligno Querci, Lauri, Olivae, nunquam ex fracido, vel cum carbonibus factis; mane tantum exeundum esse aëre a sole jam calefacto et vaporibus nocturnis consumptis; domum adspargendam cum aceto fortissimo etc.; brachia et manus lavandas cum aqua rosarum; bene esse, si per spatium conveniens radii solis in cubiculum ingrediantur, per diem vero et noctem, praecipue spirante austro, fenestrae claudantur; cavendum esse ab hominum conversatione, a cubiculis, ubi fuerunt individua affecta, vel mortua ex peste; necesse esse, ut illi, qui aegros visitant, nunquam stomacho jejuno apud eosdem morentur, antea panem cum vino optimo manducent, faciem et manus cum aceto, nares et os cum aqua rosarum lavent, januam et fenestras cubiculi aegrotantium prius aperiant; eo tempore omnes res acetosas, acerbis etc. optimas pro cibo esse, ideo manducanda esse ova sorbilia cum aceto, capparibus; cavendum a jusculis calidis, praecipue ad vesperam et tempore aestivo; bonum esse uti Beta, Buglossa, jusculis farraceis cum aceto; fructus, exceptis amygdalis et malis punicis, et caseos in genere, non esse laudabiles; a caseo dulci tamen post pastum claudi stomachum et impediri, quo minus vapores ex eodem ad caput adscendant; pro potu vinum esse acre, sed ex uvis maturis, mane sumendum semper panem biscoctum vino immersum, sub prandio cum aqua mixtum, post prandium purum; homines temperamenti

sanguinei phlebotomandos, aërem in primis viis clysteribus eliminandum, et cibos, qui flatus excludunt, vitandos esse; corpus ante prandium et coenam modice exercendum tempestate aestiva, humida et frigida vero fortiter usque ad sudorem; vix e lecto surrectis valdopere conducere frictiones brachiorum, crurum, regionum frontaliū et temporalium cum lintheaminibus vino vel aqua rosarum imbutis; de die non dormire, non cogitare de morte, sed in mente cogitationes laetas volitare oportere; deambulandum in hortis, noctu se aëri non exponendum, consortium cum morigeratis, laetis querendum esse; cantuum melodiam audire, balneis, hypocaustis uti, aurum, argentum et res pretiosas aspicere juvare; denique qua remedia prophylactica commendat: julebum, pilulas *Jovanni Damasceni*, arsenicum in sacculo ad regionem cordis suspensum, receptum Magistr. *Mingo de Faenza*, et electuarium de ovo in universitate Bononiensi conditum.

VALESCUS de TARANTA.

Natus est Mospelii anno Ch. 1382; Medicinam cum magna laude et multorum fructu insigni fecit; in quo genere studii cum triginta annos continuasset, quaecunque et lectione et quotidianis experimentis didicerat, in unum congeffit volumen, quod Philonii nomine circumfertur. Tradunt etiam Archiatrum fuisse regis Gallorum Caroli V. et obiisse circa annum 1418. aetatis suae 36.; sed male hoc dicitur in *Lindeno* renovato, cum prius asseratur, illum per totidem fere annorum decursum praxim medicam exercuisse.

De eo habentur:

Philonium Pharmaceuticum et Chirurgicum, de medendis omnibus cum internis tum externis humani corporis affectibus, ante 80. annos concinnatum: nunc vero, post Guidonis Desiderii editionem locis infinites emendatum, varie auctum notisque illustratum, opera et studio Joannis Hartmanni Beyeri. Venetiis, apud haeredes Octaviani Scotti, 1521. et 1532. in fol. — Francofurti, apud Nicolaum Bassaeum, 1599. in 4. — Lugduni 1500. in 4. apud Alemanum Treschel, 1490. in fol. et apud Jac. Myt. 1526. in 8. — Nunc vero cum praefatione Georg. Wolfg. Wedelii ab eodem iterum editum, cum indice rerum memorabilium itemque capitum. Francofurti et Lipsiae, apud Joh. Adam. Kastnerum, 1680. in 4., quae est editio optima.

Medicinalium Observationum Exempla rara cum Annotationibus et Observationibus Dodonaei. Coloniae, apud Maternum Cholinum, 1581. in 8. — Hardervici, 1621. in 8. —

Epitome operis de morbis curandis per Desiderium. Lugduni, Batav. apud de Tournes, 1560. in 8.

Tractatus de peste et epidemia. Patavii, 1487. in 4. — Lugduni Batavor. 1490. — Romae, 1499. in 4.

(Vide Linden. renovat. pag. 1036. seqq. Freind Hist. de la Medic. Part. III. pag. 126. seqq. Mangeti Bibliothec. script. medic. Tom. IV. pag. 355. Restner's medic. Gelehrten-Lexicon.)

In Bibliotheca caes. reg. aul. sub signo LXX. L. 5. solummodo reperitur :

Aureum ac perutile opus practicae medicinae operam dantibus: quod Philonium adpellatur: Consumatissimi medici domini Valesci de Tharanta. Novo ac diligenti examine correctum. Introductorius etiam libellus ad practicam medicinae partem domini Joan. de Tornamira. Impressum Lugduni per sedulum virum Jacob. Myt. Anno virginis partu MCCCCXXXVI. die vero VI. Martii.

In hocce opere equidem fol. CCCLXXXII. incipit libellus epidemiae, compilatus a Valesco de Tharanta secundum traditionem antiquorum, quem intente perlegens, imo excerptens, nil ad pestem genuinam specialiter pertinentis reperi.

ALBICUS SIGISMUNDUS.

Moravus, Unczovii (Mährisch Neustadt) natus, universitatis Pragensis magister, artem medicam per annos triginta Pragae docuit, et Paduae anno 1404. ad doctoris utriusque juris gradum promotus est. Caesar et rex *Wenceslaus IV.* hunc Archiatrum elegit; et mortuo *Zbinco de Bercas* regi venit in mentem, ut ipsum Archiepiscopum designaret, illumque Canonicis electioni novi Archiepiscopi intentis obtruderet; quod accidit anno Domini 1411., et ut M. S. quoddam habet 1412. Ast ille probe sentiens, se animi firmitate defici, qua contemptum ob tarditatem, ab ecclesiae Romanae additis ipsi insinuatam, et odium *Hussii* asseclarum perferret, pactionem anno 1413. cum Episcopo Olomucensi et Praeposito Melnicensi

Conrado de Westphalia fecit, qua Episcopus pro definita summa Archiepiscopatum susciperet, Episcopatus Praeposito Wischehradensi *Joanni* committeretur, *Albicus* vero munus Praepositi Wischehradensis reciperet; quam permutationem *Wenzeslaus* Rex adnuit. Erumpente bello Hussitico *Albicus* se Olomucium et postea in Hungariam contulit, ubi anno 1427. vitam cum morte commutavit.

Durum de eo iudicium ferunt *Joannes Dubravius*, Episcopus Olomucensis, *Aeneas Sylvius* Senens. Sac. Rom. Eccles. Cardinalis et alii historiographi, huic inprimis tenuitatem et pecuniae cupiditatem exprobrantes. Id autem inde evenit, quod consuetam pompam Archiepiscoporum e genere nobilium aboleret, et ita commode se ab iis, qui ipsum circumsidebant, liberaret. Equidem in regimine sanitatis inquit: Ab animo tranquillo, pecuniae copia, lucro temporali, auro et argento mens exhilaratur et corpus sanum conservatur; de se ipso autem dicit: Ego vero *Albicus* haec omnia non nosco.

De eo exstant typis mandata: *Practica medendi*; *Regimen Pestilentiae*; *Regimen Sanitatis*. Lipsiae, 1484. 4.

(Vide *M. Procop. Lupacii* Kalendarium historicum. Pragae, 1584. in 8. XXIII. Maii A.D. 1411. *Joan. Dubravium*, in *Histor. Boiémica*, edit. Basil. 1575. in fol. pag. 223. *Aeneam Sylvium* de Bohemorum et ex his Imperatorum aliquot origine ac gestis, edit. Basil. 1575. in fol. pag. 31. *Abbildungen Böhmischer und Mährischer Gelehrten*. Thl. II. S. 82. — 88.)

In caes. reg. Biblioth. aulic. Vindobon. de eo custodiuntur :

Sal sacerdotale Mgri Albici archiepiscopi Pragens. (Cod. chart. med. 138, fol. 194.)

Albici notabile de balneis. — Balnea non laudamus etc. (Cod. chart. med. 124, fol. 308. pag. 2.)

Albici remedium in pestilentia, sal sacerdotale dictum. (Cod. chart. med. 124, fol. 240. pag. 2.)

Excerpta e regimine sanitatis et pestilentia Albici. (Cod. chart. med. 124, fol. 308.)

Mgri Albici compendium medicinae. (Cod. chart. med. 124, fol. 9 — 125.)

Vetularius Mgri Albici Archiepiscopi Pragensis et Medici. Idem quod compendium medicinae. (Cod. chart. med. 124, fol. 9 — 125.)

Immerito subirascitur *Bohusl. Balbinus* (in *Bohemiae doctae Tract. II. pag. 82.*) *Albico*, offensus inscriptione hac libri (*Vetularius*), exclamans, superstitioni sui seculi implicitus: „nihil faedius esse potuit quam Archiepiscopum *Vetularium* scribere,” quasi de rebus officio suo indignis scripsisset. Existimabat nimirum *vetularum* mulierum negotia, et artem obstetricandi in eo pertractari. At nihil aliud titulo hoc innuere voluit auctor, quam regulas conservandae sanitatis, quibus servatis unusquisque *vetulus* et aetate grandaevus evadere possit.

Manu Scriptum, excerpta e regimine sanitatis et pestilentiae continens, sequentia tradit sub inscriptione :

Dicta Mgri Albici.

Item subita mutacio aure nocet nature et ideo tempore autumpni caminus necessarius est vel olla cum prunis projiciendo desuper grana juniperi vel absinthium vel thus. Tunc omnia odorifera valent ad odorandum. Signa, per que potest cognosci si pestilentus moritur vel non. Si habet multas sedes aut multos vomitus aut multos sudores et non alienatur est signum mortis 2do. si incidit in frenesim aut fatuitatem aut plurimum sensu divagatur et oculis annuit si infra tertium diem evenit 3. si non potest dormire. Item si continue se proicit hincinde et querit diversa loca. Item si non comedit prostratus et perdidit appetitum. Haec omnia sunt signa mortis et communiter moriuntur VIIa. die a die inceptionis et hora communiter eadem qua egritudo incipit, quia illa die in acutis febribus est dies critica seu finis egritudinis que terminatio sive exitus egritudinis fit aut per sudores aut per sedes aut per vomitum aut per fluxum sanguinis narium. Si igitur pestilentus durat per VII. dies melior est spes de sanitate recuperanda sed non intret balneum nec auram ne recidivet quoniam recidiva passio est deterior priori passione. Post VII. diem super apostema ponat emplastrum oxicrocii super unum panniculum callide aut unguentum de pinguedine cum modico croco mixtum apponatur callide cum uno panniculo. Aut contundat malvam (pappeln) cum pinguedine anseris aut ursi et cum butiro maico sine sale apponendo duo vitella ovorum cum croco modico et semper callide quum jam rumpitur apostema, quod si nollet rumpi apponatis cepam assatam crocum et oleum rosarum callide et rumpetur. Si ruptum fuerit extunc lavabitur semper vulnus mane et sero cum medone aut cum aqua mellificata priusquam apponas unguenta. Extunc apponitur unguentum consolide contuntendo cum pinguedine aucina porcina cervina ursina anetina aut cum aliquibus istorum, et non permittatur in die dormire. Si itaque habet appetitum cottidie bonum signum est, et est boni coloris in facie, vivat cum moderatione in cibo et potu et sit solaciosus non iracun-

dus aut melancholicus, et fugiat fortem potum, pisces lactici-
 nia ficus crudos et medonem, et extrahantur humiditates super-
 flue per fleubotomiam seu pillulas pestilenciales. Caput expellit
 apostema retro aures et tunc fleubotomatur cephalica. Sed cor
 expellit sub ascellis tunc minuatur basilica. Epar ad inguinaria
 mittit minuat circa talos de vena virginis aut circa parvam pe-
 dicam. Sed nunquam apponantur frigida seu repercussiva su-
 per apostema quia tale venenum mittit corpus retro quod cum
 difficultate per virtutem fortem est expulsum. Pauperi vero loco
 tiriaci detur bolus armenus (rotylsteyn) prout habent carpen-
 tarii ruda et buliat cum aceto et aqua fluminis. Haec est ti-
 riaca pauperum bibita pestilentiam et vomitum repellit a corde.
 Item in pestilentia valet lavare pedes sero ante introitum lecti
 cum aqua callida in qua buluit camomilla ad secundum gradum
 solia pedum fricando cum aceto et sale.

JOANNES BAVERIUS sive de BAVERIIS.

Medicus Italus Imolensis, auctor Latino - Bar-
 baris adnumeratus, artem medicam circa medium se-
 culi XV. Bononiae docuit, scripsitque inter alios
 tractatus *Consilia medica*, quae Bononiae 1489. in fol.
 postea Paviae, 1521. in fol. et Argentinae per *Gual-
 therum* 1543. in 4. typis evulgata sunt; *Regimento
 degno et utillissimo commo il huomo si debbe guber-
 nare et preservare nel tempo de la peste. Bologna,
 1478; Tractato mirabile contro de la pestilentia.
 Composto a satisfatione de li poveri homini. Im-
 presso in Perugia nelle case de Hieronymo de
 Carthulariis. Adi. 15. de Genaiio. 1523. in 8. min.*

(Vide *Gessner*. enumerat. alphabet. Chirurg. il-

lustr. pag. 405. *Conring.* introduct. in art. med. pag. 104. *Linden.* renovat. pag. 121. *Orlandi.* notizie degli scrittori Bolognesi. pag. 71. *Josephi Frank* Prax. medicae. Part. I. edit. alterius. Volum. II. Sect. I. Lipsiae, 1827. 8vo. pag. 22. Nr. 121.)

In Bibliotheca caes. reg. aul. reperitur solummodo sub signo * LXIX. C. 44. *Consiliorum de re medica* editio Argentina, quorum XVII. (fol. 96 — 98) agit de *praeservatione a peste*; sed nihil continet, nisi quod antecessores jam fusius pertractaverunt, nimirum remedia prophylactica simplicia, vitae regimen, quasdam medicamentorum compositorum formulas et secretum magnificatum ab *Arnoldo*, nempe vinum, in quo extinctum est aurum ignitum, tempore pestis potandum.

Tractatus mirabilis contra pestem, qui reperitur in collectione Loimographorum celeb. Prof. *Jos. Bernt*, sequentia praecepta tradit.

Homines, quibus facies sanguine turget, et venae tument sibi venam hepaticam brachii dextri secari curent; melancholici vero, macilenti, vultu pallido vel flavo, alvum purgent, cibos parca tantum copia cum aceto vel agresta sibi concedant.

Qui aegris assistunt, manibus et facie cum aceto forti vino albo generoso mixto ablutis, signo crucis et animo impavido armati negotia sua obeant; dein statutis diebus, scilicet die Dominica pilulas contra pestem consuetas hora ante coenam, die *Lunae* theriacam, die *Martis* bolum armenam, die *Mercurii* eandem cum terra sigillata, die *Jovis* mithridatium cum theriaca, die *Veneris* theriacam ex foliis rutae, ficis siccis et sale contrito, die *Sabathi* electuarium compositum ex decem simplicibus antipestentialibus, in usum trahant.

Medici et amici, aegros visitantes, non intrent infirmorum habitacula, nisi fenestris antea apertis; infirmi in lecto supra visitantem elevato decumbant, ne aër perflans cubiculum vapores ferat in sanos. Cavendum, ne quis se sanguine e vena emisso contaminet. Odorifera secum gerere perutile est.

Nutrimenta ex carne prae caeteris sunt optima; vegetabilia cum majori cautela adhibenda, tempore aestatis endivia, lactuca, cucurbita, pepo, hiemis tempore scabiosa, berberes, petroselinum, hysopus, marubium, enula in usum diaeteticum trahenda sunt; fructus horaei sine exceptione ab usu excludendi; pisces aquam fluentem dulcem colentes conducunt, in stagnante, impura habitantes nocent; lac, caseus, cerebrum, hepar et reliqua animalium intestina, fungi facile putrescentes, damnandi sunt, vinum album, amaricans et mite egregium sistit potum.

Motio corporis in aëre libero et sereno ad sudoris excretionem usque instituenda est; quies post pastum corpori et menti per digestionis tempus concedenda, et dormiendum consueto more est, non ante horam post cibos assumptos; dormiens nec radiis solis vel lunae, nec vento sit expositus; domus mane non, nisi sole jam in altum evecto deserenda; animi hilaritas custodienda est; odiosa, pathemata deprimentia, vitanda sunt.

In apostematum pestilentialium cura medicus attendat, utrum febris adsit, nec ne. Ea absente bolus armena, terra sigillata, sanguis draconis in aqua rosarum et aceto digerendi, cum albumine ovorum in spumam conquassandi, et circa apostematis peripheriam adplicandi sunt, manente apostemate libero. Febre vero praesente sanguinis quantitas juxta pulsuum conditionem minuenda est. Apostema retro aures vel in collo affectionem cerebri vel cerebelli, sub axillis cordis vel pulmonum, in inguine stomachi, lienis vel hepatis indicat; et sanguinis missionem aut ex vena brachiali, aut hepatica, aut ex saphaena postulat.

Carbunculo ipsi cucurbita sicca imponenda et tam diu ibi-

dem relinquenda est, donec ad hanc plagam satis humorum nocivorum allegerit, qui cultri applicatione evacuandi sunt, quorumque effluvium aqua chamomillae vel simplex calefacta adjuvabit. Nonnulli carbunculo, insigni ambitu superbienti, galli dissecti dimidium imponi curant. Dolores optime compescuntur cataplasmatibus ex seminibus lini, herba malvae, foenu graeco et oleo recenter presso. Ceterum infectus sumat succum scabiosae cum vel sine vino, et summopere studeat sudoris excretionem adjuvare, qua via materia nociva citissime eliminari potest.

CAPELLUTUS ROLANDUS.

Chrysopolitanus, Philosophus et Medicus, Chirurgus Parmensis, floruit post Chr. natum anno 1468. sub Imperat. *Friderico* III. et Papa *Paulo* II., pestis Parmae 1460. grassantis testis oculatus, scripsitque de eadem barbaro stylo. Autumantes, ab eodem Chirurgiam elaboratam fuisse, errant. Nam medicorum scriptorum nomenclatores nominis affinitate decepti hunc eum esse *Rolandum* Parmensem crediderunt, cujus exstant quatuor Chirurgici libelli ex *Rogero* cum primis transscripti. Eum enim errorem cum commisisset magnus ille vir *Conradus Gesnerus*, in sua eundem scripta transtulerunt *Paschalis Gallus*, *Joannes Schenkius* et alii. Verum ille quidem *Rogerii* sectator initio seculi post natum Servatorem tertii decimi vixit, quod facile ex *Guidone de Cauliaco* est intelligere; noster autem ad quintum decimum seculum pertinet. Ejus erroris causa est libelli raritas;

quo factum, ut in paucorum notitiam pervenerit. In eo multa habentur *ισογίαι*, quae cum ad notitiam pestilentium affectuum, tum ad eorum rectam curandi rationem faciunt unica. Enim vero si in ullo alio morbo, in his profecto maxime deficient nobis historiae medicae. Quo fit, ut, dum plerique eandem in omnibus istiusmodi affectibus sequimur curandi rationem, quasi eadem omnes natura sint, non nisi paucissimi sanentur. Ex variis autem observationibus atque historiis demum rectius aliquid dabitur concludere. Est autem in illis recensendis noster pene totus occupatus.

De eo itaque habetur:

De curatione pestiferorum Apostematum tractatus, utilissimis observationibus illustratus, ex Bibliotheca Hermanni Conringii. Brunswigae, 1640. in 8. Ibidem una cum Salmuthi observationibus medic. 1648. in 4. — Francofurti apud Joh. David Zunnerum, 1642. 8.

(Vide *Justum* in *Chronologia Medic. Linden.* renovat. pag. 948. *Bibliothec. Rivinian.* pag. 453. Praefationem *Her. Conringii* in editione *Salmuthi*.)

In Biblioth. caes. reg. aul. asservantur sub signo * LXIX. C. 41.: *Philippi Salmuthi Arch. Anhaltini observationum Medicarum Centuriae tres posthumae, cum Hermanni Conringii praefatione, Accedit Rolandi Capelluti libellus de peste a mendis liberatus. Brunswigae, 1648. 4.*

Currente 1468. anno, refert *Rolandus*, Parmae horrida viguit pestis, quam similem nunquam vidisse nec videre credit (pag. 5.). Nullus amor, nulla charitas in Parmigenis erat, sed omnis immanitas et crudelitas in eis regnabat, vicinus vicino opem

praestare volebat, frater fratrem, viri uxores et hae viros, parentes filios et filii parentes derelinquebant. Homines non tam peste, quam potius necessitate moriebantur. Quod pejus: Parochiani nec confessionem, nec sacratissimum corpus *Christi*, nec extremam unctionem infirmis donare volebant. Fratres mendicantes et Parochiani defunctorum corpora in propriis urnis sepeliri vetabant. Quam primum ad aures officialium veniebat, quod unus aegritudine aliqua laboraret, immediate officiales magna cum satellitum caterva gressus suos cum furore et impetu ad domum illius accelerabant, vel illum in domo recludere, vel de domo expellere, et ad St. *Leonhardum* ire faciebant: qui locus hominum macellum erat, et in quo omne genus luxuriae commitebatur. Plus immanitas et latrocinia in dicto loco vigeant, quam amor et charitas. In urbe vero tanta facinora perpetrabantur, quod nec lingua fari, nec manu scribere possum. Per urbem subiratores officinalium ibant, et si pauperum porcos inveniebant, illos interficiebant et vendebant. Et ex dictarum carniū porcinarum comestione magno regnante calido, prout regnabat, mille homines infectati sunt et perierunt. Cessata epidemia Medici, qui pestilentiatis medebantur, ab Officialibus detenti et incarcerati fuerunt, illisque imputabant mille latrocinia et homicidia, et pecunias, quas magno cum labore et periculo lucrati fuerunt, eis eripuerunt (pag. 6.). Auctor noster nunquam practicae, sed tantum se consilio dedit; nonnullosque ex peritis suo tempore cognovit, qui se practicae dederunt propter lucrum, qui morte perierunt (pag. 5.). Nullus barbitonsor, excepto uno, quem habere posse difficillimum erat, in urbe pestilentiatis phlebotomare volebat (pag. 11.).

Quibus acutissima febris maximo cum dolore capitis, passione renū, oris, stomachique dolore, ac etiam laterum hypochondriorum et cum vomitu, nausea, pulsu cordis, casu virtutis et syncopi adveniebat, et secundo die anthrax vel carbun-

culus in corpore oriebatur: hi, si phlebotomabantur, spiritus cum sanguine exhibat.

Quibus acutissima febris cum apostemate venenoso sine accidentibus supra dictis adveniebat: hos sine ulla mora a latere, in quo apostema ortum erat, auctor phlebotomare imperabat, si virtus et aetas tolerare poterant.

Aliis acutissima febris magno cum capitis dolore adveniebat, et secundo die apostema venenosum oriebatur: hi, si phlebotomabantur, orto apostemate in vomitum, nauseam, tremorem cordis et syncopen incurrebant et moriebantur; aliis sine apostemate adveniebat, et ita profundebantur in somno, ut adstantes eos nullo modo evigilare possent, et ita moriebantur.

Alii apostema venenosum cum febre et profunditate somni tenebant et moriebantur; alii acutissimam febrem sine apostemate in corpore tenebant, et neque somnum, neque requiem capere poterant, et moriebantur; alii apostemata sine acutissima febre in corpore tenebant, et solum cum emplastris maturantibus illa ad exituram devenire faciebant, et etiam unctionibus ac purgationibus illa debebant.

Malignis et pestilentialibus morbis citissima conveniunt remedia, quae si differantur, nil conferunt (pag. 8.).

Pestis multum debilitat et contaminat naturam; ideo pestilentiati bonis cibus et substantialibus sunt saepe nutriendi; multiplica ergo in eis numerum et minue quantitatem.

In hunc finem confortantia talia praescribit: R. Caponem bene pinguem, vel Gallinam, minutim incide, et ejus ossa peroptime frange, et in alembico vitreo ad destillandum pone (sic). Et si vis aquam cordialem facere, potes imponere perlas, ducatos, et fragmenta lapidum pretiosorum, et corallo rubros, et de hac potione saepe pestilentiato dare. (Eheu jam satis est.) (pag. 9 et 10.)

Ut vomitui resistatur, stomachum cum oleo de cydoniis, vel de mentha, de mastiche, vel de absynthio, seu de spina

inungere, et modicum pulveris caryophyllorum superaspergere imperabat.

Pestilentiatis solum aquam coctam frigidam, vinum non, concedebat.

Quibus usque ad duodecim horas phlebotomia differebatur, magis nocebat, quam juvabat (pag. 11.). Tunc ventosam ter aut quater affocatam super apostemate appone, postea cum rasario fortem fac scarificationem, et ventosam bene affocatam iterum super scarificationem multoties reitera, ut non parvam quantitatem sanguinis attrahat; deinde emplastrum calidum de ammoniaco superpone; postea cum emplastro maturativo procede, maturatumque sagitello aperi.

Carbunculos cum defensivo circa circum per aliquos digitos perungere, et postea super nudum caput apostematis hoc emplastrum ponere jubet: R. Calcis vivae, Sal. nitri, Cantharid. Virid. aeris Vitrioli Romani combusti \overline{aa} drachm. unam, Arsenici drachm. unam et dimidiam *).

Aliqui ex vulgo apostemata cum oleo de vermibus terrestribus calido, alii cum oleo de chamomilla, lilio, anetho, de sambuco etc. inungebant, aut ex caepis comestibilibus, vel lilio sub prunis bene maceratis, cum butyro, fermentoque et croco emplastrum componebant, et calidum apostematibus applicabant.

Annotatur praeterea, multos ex iis, qui apostematibus sine acutissima febre affecti sunt, propter crapulationes magnas, et

*) Explicatione autem indiget, quod in hac formula arsenicum commendet carbunculo pestilentiali imponendo; possit enim videri laudasse illud album factitium, quod κατ' ἐξοχην nunc arsenicum audit. Verum ille vel auripigmentum indicare voluit, quod solum Graecis veteribus αρσενικόν, vel Sandaracham, quae hodie officinis est arsenicum rubrum. Hanc certe et Avicennae et Mesuei interpretes saepenumero simpliciter arsenicum videtur appellasse. Sandaracham autem in carbunculo non absurde usurpari medici aevi medii arbitrati sunt.

potationes vinorum fumantium, ac etiam ex superfluo coitu, in saeva accidentia incurrere et mori (pag. 12 et seq.).

Dedicavit auctor hunc tractatum Magistro Chirurgiae Parmensi Petro de Gnalandris.

ALBERTINUS.

Medicus Italus, Cremonae natus, floruit circa medium seculi XV., Bononiae munere Professoris Philosophiae moralis et Medicinae fungens edidit tractatus: de hydrope; de doloribus colicis; de mulierum pulchritudine; de pestilentia, qui omnes in nostratibus bibliothecis publicis desiderantur.

(*Arisii* Cremon. literat. Tom. I. pag. 284. Gli Scrittori d'Italia del Conte *Giammaria Mazzuchelli* Bresciano. Vol. I. Part. I. In Brescia 1753. in fol. pag. 323.).

Theses defendendae.

I.

Strenua coleopterum divisio systematica ex apparatu eorum manducatorio hauriri nequit.

II.

Recentium fervor nova tantum et nova genera speciesque creandi non illustrat imò obfuscat naturae systemata.

III.

Quae a mammalibus dejiciuntur cornua et dentes, arma sunt pruritus temporis destinata.

IV.

Incommoda infantes sub dentitione infestantia actione mechanica non explicantur.

V.

Unguentum Autenriethi optimum hucusque remedium in tussi convulsiva.

VI.

Hydrophobiae methodus antiphlogistica opponenda.

VII.

Male tractat morbos cutaneos, qui solam cutem tractat.

VIII.

Consilium plurimum medicorum sub initio morbi
potius, quam sub istius fine petendum.

IX.

Tampon in metrorrhagiis plus nocet, quam juvat.

X.

Tracheotomia in angina membranacea nunquam
admittenda.

XI.

Ne medicaminibus ceu reagentibus chemicis mor-
bum exploret medicus.

XII.

Summa cautela in dijudicandis mentis alienatio-
nibus medico forensi observanda est.

XIII.

Deligatio funiculi umbilicalis non est negligenda.

XIV.

Hygiene publica minime subsidiis pollet, qui-
bus cholerae morbi ulteriorem propagationem li-
mitet.

